De philosophia Euripidis.

Prooemium.

Non quilibet poëta idem est philosophus et justam fortasse virorum doctorum dubitationem moveat is, qui ex primi cujusque poëtae carminibus philosophiam quandam interpretando elicere atque adeo ad artem revocare velit. Neque id tantum valet in eos poëtas, qui nostra memoria exstiterunt, sed in veteres quoque, quos vulgo philosophorum praeceptis magis quam recentiores imbutos fuisse constat. Euripideae vero philosophiae quum forma instituetur, nemo, puto, hac re offendet. Euripides enim a patre, homine locupleti[1]), diligentissime educatus et eruditus est, tantum in praeclarissimorum doctorum scholis, quas frequentabat, philosophiae amorem imbibit, tantaque in tragoediis philosophiae monumenta reliquit, ut ipse Apollo cecinerit:

Σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερος δ' Εὐριπίδης,
Ἀνδρῶν δὲ πάντων Σωκράτης σοφώτατος[2]).

Cicero autem quum (epist. ad Fam. XVI. 8.) hoc de Euripide judicium fecit: „cui (Eurip.) tu quantum credas nescio, ego certe singulos ejus versus singula testimonia puto," profecto ejus philosophiam respexit. Euripides, priusquam Socratis consuetudine gauderet, physicis operam dedit, et in his explorandis maxime Anaxagorae praeceptoris viam ingressus est, ita ut compluribus locis ejus philosophi amorem et studium ostenderet[3]). Post autem omissis rebus ad vitam minus utilibus eam, quam de coelo deduxerat Socrates, philosophiam amplexus est[4]) atque de iis quaesivit, quae ad vivendi rationem et ad mores pertinerent. Quum autem ejus plurimum interesset, ut ea, quae de deo, de conditione humana ipse cognovisset, alios doceret, idque sine magno vitae periculo fieri non posse vidisset, ad fabulas componendas se convertit, eo consilio, ut tutius meliorem de rebus gravissimis disciplinam civibus suis traderet[5]). Anaxagoras enim[6]), qui solem lapidem, non deum ideoque divino honore indignum esse, idque genus alia, quae nimis a vulgaribus opinionibus recederent, docuerat, in summum Atheniensium odium inciderat, ita ut haud dubie capitis esset damnatus, nisi Pericles eum defendisset. Hujus gratia, qua plurimum apud populum valebat, capitis poena in mulctam quinque talentorum mutata fuerat atque ipse in exilium missus. Quam praeceptoris sortem ut evitaret Euripides, ad scenam confugit ibique per personas, quas inducebat, ea, quibus, si philosophiam palam professus esset, maxime offendisset populum, explicavit, ut hac ratione minus anxius esset de calumniis popularium. Quum igitur hoc qualicunque litterarum specimine constituerim de Euripidis philosophia tractare, inspiciendae mihi fuerunt ejus poëtae fabulae, quippe quae ejus philosophemata contineant. Est tamen difficultas hujus disquisitionis propria.

Multa enim leguntur ad hanc rem spectantia, quae sunt Euripidis poëtae, non Euripidis philosophi, quae nisi accurate internoveris, in eundem errorem incidas necesse erit, in quem incidisse mihi videtur Hassius, vir doctissimus, qui, quantum equidem sciam, proximus exstitit Euripideae philosophiae interpres. Alia leguntur, quae quamvis Euripidis philosophi sententias exprimere videantur, tamen explicanda sunt ex moribus earum personarum, quas loquentes inducit[7]). Sic quam sententiam in Phoenissis (v. 490 sq.) Eteocles profert:

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρῆ, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν, τἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών,

ea non ex ipsius poëtae animo est prolata, sed inservit ad Eteoclis ambitionem ejusque imperii cupiditatem describendam. Ante omnia respiciendi sunt ii loci, ubi chorus loquitur. Hujus enim verba quum plerumque cum ipsa fabulae actione non arcte cohaereant, sed versentur in personarum vel dictis vel factis contemplandis et ad certa quaedam virtutis praecepta referendis, commodissima in canticis poëtae occasio data erat aperiendi, quid ipse de rebus divinis, de virtute, idque genus aliis sentiret. Praeterea in censum revocanda sunt verba personarum, quae primarias partes sustinent. His enim saepe poëta ea attribuit, quibus praeter delectationem docere volebat spectatores. Quos enim vulgus vel propter nobilitatem vel propter virtutes magni aestimabat atque admirabatur, eorum verba magnam in audientium animos vim exercitura esse poterat sperare. Sed ne secundarum quidem personarum verba negligenda erunt; immo interdum Euripides rem ita instituit, id quod fortasse fecit, ne nimis animos civium offenderet[8]), ut famulos aut famulas philosophantes induceret[9]), ut paene ipsum philosophum audire nobis videremur. Verum nova exoritur difficultas eo, quod sententiae philosophicae, quas Euripidis esse judicamus, inter se pugnare videntur. Sic in Hippolyto nutrix declarat, nimis cavere alteri et metuere periculosum esse et damnum afferre valetudini, satius esse, amicitiae vinculum ita conjungere, ut facile solvi possit, meliusque esse modum imponere studio, quo alterum adjuvemus[10]). Nihilo tamen minus idem poëta laudibus effert exempla amicorum Thesei et Herculis, Orestis et Pyladae, quippe qui unus pro altero ne summa quidem discrimina subire recusent, praedicat eos, qui tanto suorum aut patriae amore flagrent, ut e vestigio parati sint, in suorum utilitatem animam efflare. Amoveri mihi posse videtur haec difficultas ita, ut dicamus, Euripidem censere in universum medium quiddam tenendum esse, observandam modestiam, accidere tamen nonnunquam, ubi verum aliorum commodum agatur, ut nulla sui ratio habenda atque haud cunctanter moriendum sit pro aliis. Est locus in Jone (v. 1206 sqq.), ubi haud sapienter constitutum esse censet poëta, nam per Jonis personam ipsum Euripidem loqui recte dixeris, ut non minus improbus, quam probus, si ad deorum aras confugisset, tutus esset a contumeliis et inviolabilis. Quae venia etsi conveniret integritati morum, tamen eam repugnare improbitati; quare removeri a templis consecratisque locis improbum hominem et suppliciis tradi aequum esse. Huic loco adversari videtur locus Heraclid. (v. 104 sqq.), ubi vim afferendam esse iis, qui se in deorum fidem et clientelam contulerint, negat Euripides. Consociari potest uterque locus; priore enim loco philosophi more Euripides disputat, altero poëtae partes sustinet et ad augendam legati Argivi impietatem exponit, eum contra consuetudinem jam ab antiquissimis Graecis receptam, ex qua deorum supplicibus quibuscunque parcebant, peccasse. Omnino quia Euripides modo tragici poëtae artem sequitur, modo philosophi rationem ingreditur, saepe dubitationem quandam atque adeo repugnantiam de gravissimis rebus, ut de natura deorum, lector animadvertere sibi videtur, ita ut propter hanc ipsam caussam iniquissima judicia a viris vel doctissimis facta sint. Alii enim philosophemata, quibus tragoedias suas exornavit Euripides, pro inanibus et siccis additamentis habue-

runt, quae tantum abest, ut laudi essent poëtae, ut fabularum venustatem vel maxime minuant et infirment. Concesserunt Euripidi sollertiam quidem et ingenii celeritatem exercitationemque et magnam dicendi vim, judicii elegantiam et animi severitatem morumque integritatem et castitatem abjudicaverunt [11]). Iidem negaverunt, eum tanto ingenii acumine fuisse, ut summam Anaxagorae philosophiam percipere posset, ambitione et gloriae cupiditate ductum eum fabulas distinxisse, ut eruditionem jactaret, sententiis Anaxagoreis, quae ad cognoscendam clarissimi philosophi disciplinam minime sufficerent. Alii propensum quidem Euripidem fuisse ad philosophiam, studiose mores hominum observasse, sed propter judicii inconstantiam animique levitatem, quum de rerum natura, de numine divino, de ratione, quae inter deum intercederet et inter homines, quaereret, non satis huic cogitationi immoratum esse dixerunt, neque diligenter, quid de quaque re statuendum esset, investigasse, ita ut, quodcunque de gravibus illis rebus in buccam ei veniret, conglutinatum afferret [12]). Quum aut non recte didicisset, quae poponeret, aut consulto depravasset [13]), maxima cum fluctuatione eum modo haec modo illa protulisse, ut, quid ipse de singulis sentiret, in hac dubitatione vix perspiceres [14]). Atque fieri non potuisse, quin repugnantiis implicaretur et quum, quid vellet, nusquam diserte explicasset [15]), morum honestatem imminueret et verae virtutis sensum debilitaret [16]), nedum de religione bene meritus sit poëta scenicus [17]). Exstiterunt denique [18]), qui quamvis poëtam a gravioribus criminationibus, quibus ab aliis oneratus est, defenderent, iidem tamen eum inconstantiae vacillationisque accusarent. Postremo prodiit Hassius, qui l. l. tum verborum copia dicendique elegantia tum doctrinae subtilitate injustas illas accusationes refutavit et, quae et qualis fuerit Euripidis philosophia, docuit. Jam mirum cuipiam videri possit, quod ego post diligentissimum illius viri opus quasi acta agenda existimaverim et constituerim, rem, quae jam ad finem perducta sit, denuo tractare. Sed primum Hassii consilium id erat, ut in universum, quae et qualis fuerit Euripidis philosophia, ratione habita rerum graviorum scriberet, aliarum explanationem omitteret; deinde quam sententiam de deo, de justitia divina exhibuit, ea mihi probari neutiquam potuit. Quare quum mihi in animo est, quantum exiguae vires praestare possint, sententiarum ad philosophiam pertinentium, quae passim apud Euripidem leguntur, certam quandam formulam componere, patet, non tantum fabulas, quae integrae ad nostrum tempus servatae sunt, inspiciendas, sed etiam fragmenta in partes vocanda esse. „Nam, ut ait Valckenarius (l. c. p. 1. 2), ex perditis tragoediis exquisitissimas quasque nobis veteres custodiverunt, Euripidis imprimis tragici versibus tanquam veris optimi morum magistri praeceptis usi, vel tanquam sapientissimi viri testimoniis. Hoc quum cadere nequeat in dubitationem, multum erraret opinione sua, qui reliquias dramatum Euripideorum cum cujusvis Graeci poëtae vel alterius scriptoris fragmentis aequipararet, Sophoclis verbi gratia, vel Callimachi, vel Nicandri. Euripidea neminem arbitror vilipendere posse, qui quidem illa paullo propius cognoverit, atque usu didicerit, quantam in animis hominum bene moratorum vim habeant paucis expressa magnorum virorum dicta prae prolixis philosophantium disputationibus; quique praeter alios veteres Christianos Clementem legerit Alexandrinum, atque ex locis, huic uni conservatis, perceperit, quam prope in istac caligine superstitionis ad veritatis lucem Euripides accesserit.“ Quod autem eam philosophiae partitionem, quam in physica et ethica veteres fecerunt, retinui, eo vix quemquam offensurum esse arbitror. Itaque hujus libelli capita erunt de deo, deinde de animo et de corporibus, tum de finibus bonorum et malorum, de virtutibus, de officiis, denique de formis reipublicae.

C. I. De rebus divinis.

§ I. Non sunt dii, qui fabulis feruntur.

Qui vere deus est, eum nihil turpe facere consentaneum est[1]). Justitia eum excellere et potentia et morum sanctimonia, sapientia[2]) denique et eximiis virtutibus, merito affirmant[3]). At quales sunt dii, qui fabulis feruntur. Nonne prorsus contraria sunt natura? Nam quidquid injusti[4]), quidquid libidinosi[5]) et infirmi[6]), quidquid stulti et perversi[7]) excogitatur, id in diis fabulosis reperitur. Age contemplare istum Apollinem, qui honestatis et justitiae immemor[8]) Orestem et Electram cohortatus est, ut matrem interficerent, idque oraculum ex sanctissimo terrarum loco, quem olim Themis tenuerat[9]), dedit, is, qui justarum rerum et injustarum judex dicitur acerrimus, postea, quum perpetrassent turpissimum matricidium, utrumque in misserrimam calamitatem conjecit, conjectum deseruit. Idem Apollo in improbi hominis modum veterum injuriarum rixarumque nimis memor Neoptolemum eodem tempore, quo Delphos venerat, ut iratum deum supplicationibus et sacris placaret sibique reconciliaret, ex insidiis ab Oreste peti telisque confodi passus est, neque obstitit, quominus ipsa dei sedes a fraudulentis hominibus acerbissime violaretur[10]). Quid? quod foedissima libidine inflammatus Apollo vim atque vitium attulit Creusae pudicitiae[11]); neque tamen postea, quamvis deus esset, infelici virgini auxilio fuit, ita ut haec de salute sua desperans infantem recens natum, Jonem, clam expositum feris bestiis derelinqueret[12]). Jupiter autem nonne Semelam corrupit, corruptam fulmine sustulit? Cycni formam induit, ut quum persequentem aquilam se fugere simularet, in Ledae gremium insinuaretur[13]). Quodsi Jupiter, qui ipsorum coelicolarum imperium tenet et Apollo et Neptunus pro flagitiis, quae voluptate et luxuria diffluentes innumerabilia commiserunt, pro temeritate, qua abrepti summis homines injuriis affecerunt, poenas dare cogerentur, brevi profecto eorum templa vacuefierent, quippe quorum simulacra donaque, vel pretiosissima, ad debitum solvendum non sufficerent[14]). An aequum fuit justumve, invisum Junoni procreasse Graecorum liberatorem atque sospitatorem, Herculem? Proditionis ac perfidiae accusandus est Jupiter, qui quum Ganymedem principem dignum habuisset, qui in coelum reciperetur et diis pocula ministraret, concesserit, ut urbs, quondam suavissima, in qua novus deorum pincerna natus esset, funditus everteretur. Sociam injuriae habuit Auroram, quae et ipsa eam urbem, ex qua dilectum maritum quadrigis suis in beatas deorum sedes evexerat, exstinguere constituit, neque permota est clamoribus ejulatuque deletae Trojae incolarum[15]). Adeone nihil juvat, in gratiam deorum redisse! siquidem tantae inconstantiae culpam sustinent. Ceterum minime decet reginam deorum, Junonem, ista malitia atque levitas ambitionisque amor, cujus convincitur. Vix natus erat Hercules, quum Juno invidae mulieris more pestiferos illos serpentes ad eum interficiendum misit. Quo periculo feliciter superato ex eadem implacabili ira filium ipsius Jovis per molestissimos labores, per atrocissimas pugnas transversum egit perpetuas atque ne tum quidem, quum tantus ille vir exstinctis praedonibus sublatoque omni ferarum genere summa in cunctos Graecos beneficia contulerat, immortaliterque meritus erat de universis hominibus, omni modo eum persequi destitit; quippe in tantos furoris tenebras eum demersit, ut, quin miserrime interiturus esset, non dubium videretur. Quid? quod utramque et Junonem et Minervam ea mollities et inane pulchritudinis studium exagitavit, ut non dubitarent, in montem Idam se conferre et ridiculum de venustatis palma certamen arbitro Paride subire[16]). Scilicet hunc corrumpere studebant, pollicentes, una, se ei, quamvis barbaro homini, Argivos divendituram esse, altera, effecturam, ut Athenienses, quamvis in sua ipsius tutela essent, Phry-

gibus servirent[17]). Taedio fortasse Jovis permota alium illa quaerebat conjugem, hanc, credo, pigebat aeternae castitatis, quod munus olim a patre sibi poposcerat praecipuum. Non magis laudanda est Venus, quae tantum abest, ut suavitati suae convenienter agat, ut mendacia struat, fingat fallacias insidiasque. Cum illarum dearum perversitate conferri potest Dianae pravitas. An consentaneum est, quae dea eos, qui se tactu animalium aut recens natorum aut mortuorum inquinarint, aut caedem perpetrarint, a templis suis prohibet, eandem oblectari sanguine humano atque epulis ex carne hominum comparatis[18]). At enim, dixerit quispiam, est aliquantum dulcedinis in dapibus tam obscoenis tamque nefandis, quandoquidem ex omni deorum turba recusavit nemo, quin ad comedendum Tantali filium, ab ipso patre mactatum, accumberet[19]). Sed quid mirum et inauditum videatur in diis, qui quibuslibet amoribus inconcessis se dederint et explendae regnandi cupiditatis caussa eo impietatis processerint, ut ipsorum patrem regno spoliarent, spoliatum in vincula conjicerent? Jam quid faciant homines, quorum duces sunt dii et magistri et legum latores? Quis in posterum cujusquam sceleris accusabit mortales, quum ipsos deos omni flagitiorum genere obrutos videat[20])? Imitabuntur homines deos, idque eo studiosius, quod hi non tantum poenas peccatorum dant nullas, sed summa etiam securitate gaudent et maxima felicitate fruuntur[21]). Sic Juno, postquam omnium Graecorum principem perdomitum crudelissime vexavit excruciavitque[22]), in maleficio suo glorians exsultavit, coelum concussit pedibus, velutsi praemia sibi deposceret meritorum[23]). Aequumne est, ejusmodi deos poenas exigere ex hominibus improbis atque persequi eos, qui ipsorum exemplum imitati per fas nefasque ruunt[24])? Optimo jure sua homines peccata in deos referent aut omnino contemnent deos quippe qui mali praesides sint rerum humanarum[25]). Verumenimvero quaecunque de diis tam injusta et impia traduntur tamque perversa, ficta sunt et commentitia[26]). Quis, si modo sana mente sit, istas fabulas credat? sua ipsorum peccata homines diis attribuerunt[27]). Quae sua ipsorum libidine ducti homines deliquerunt, ea pro deorum voluntate habuerunt. Quod ipsi homines barbari fuerunt et immanes, ideo ex bonis mortalium custodibus feros homicidas fecerunt, quod ipsi homines caedibus et cruentis proeliis gavisi sunt, ideo in diis quoque eandem feritatem atque immanitatem animadvertisse sibi videntur. Pessimis quibusque libidinum illecebris et voluptatibus homines se tradiderunt, id quod in caussa fuit, ut deos non alios fingerent, nisi moechos, omnibusque amoribus inconcessis demersos[28]). Inconstantiam fortunae et mutabilitatem in semetipsis experti sunt homines, ob eandem caussam etiam deos opinantur variis casibus inferiores esse et rerum humanarum vicissitudini subjectos; hinc exorta est eadem divinae naturae imbecillitas, quae humanae. Nunquam enim, qui vere deus est, ad vitam dissolutam adducitur[29]), nunquam vincula senserunt manus ejus[30]), nunquam imperio cujusquam circumscribitur, nunquam cujusquam rei indiget[31]). Quas autem semel conceperunt homines ineptas de diis opiniones atque stolidas[32]), eas poëtae carminibus disseminarunt ac pervulgarunt[33]) et ad lectorum oblectationem exornaverunt. Quamquam multas fabulas dixeris inventas esse, ut homines, quum ratione duci non possent, timore deorum perfunderentur et retinerentur a sceleribus (v. Electr. v. 677 sqq.).

Quoniam Euripides ea, quae de diis narrantur, pro meris vanisque fabulis habet et hominem se praestat liberioris in rebus divinis judicii, non dubitat, fabulas, quae vulgo feruntur, magna ex parte mutare. Praeter locum (Iphig. Taur. v. 361), quem citavimus, exemplo est Electr. v. 674 sqq. Quum enim alii poëtae vulgi opinionem secuti solem ob epulas ab Atreo Thyesti paratas lucem suam occultasse, vel etiam cursum retro vertisse finxissent, Euripides mutatam rem in hunc modum disposuit. Atreo et Thyesti de regno certantibus oraculum respondit, utri prius visum esset prodigium, eum imperium accepturum. Quod prodigium Atreo, dum arietem aureum accipit, contigit.

Sed Thyestes ab Aërope ejus uxore corrupta adjutus illum arietem clam abstulit et ita regno est potitus. Tum Atreus multo gravius, quod sibi in coelo visum esset, portentum ostendit. Solem enim propter Thyestis flagitium ad meridiem recessisse et iter sideribus contrarium ingressum esse, dum enim sidera ab occidente ad orientem moverentur, solem ab oriente ad occidentem cursum tenere[34]). Jam dum vulgo in Tartaro scelestos homines poenas dare opinabantur, in aëre Euripides Tantalum et Ixiona suspensos versari (Orest. v. 7) confirmat, quam poenarum rationem gravissimam esse maximeque convenire summae hominum improbitati et ipse poëta in Herc. fur. et scholiasta (ad Orest. v. 7) dicit. In aëre enim versanti neque quietem dari, neque permitti, vel terrae vel mari innixo recreari[35]).

Eadem de caussa, quod commentitia esse, quae de diis narrantur, atque fabulosos ipsos deos Euripides censet, idcirco deorum nomina non pro propriis habet, sed pro appellativis, quae dicuntur. Tam enim libere miscet ea et conjungit, ut cognati dii et propinqui appareant. In Bacchis Dionysi cultum cum Cybeles, magnae matris, consociat, ut utriusque numinis caerimoniae fere eaedem videantur, quia notio Bacchi[36]) illum significat strepitum, quo sacra habebantur, simillimum rationi, qua Asiatici Cybelen celebrabant. In eadem tragoedia Cererem Baccho adjungit, nam uterque deus alimentis homines adjuvat, altera densis solidisque, alter liquidis. Quod autem Isin, Cybelen, Cererem confundit, illud non offendit, quod alii quoque poëtae raro discernunt illas deas, ut permiscent Osirim et Bacchum. Sed quod Cererem prorsus eandem proponit atque Cybelen[37]), quamquam illa perhibetur filia Rheae, illud contra aliorum consuetudinem facit, haud dubie respiciens varietatem frugum et munerum, quibus utraque hominibus sit magnae utilitati[38]). Item, qua ratione, quo strepitu cultuque circumvagatum esse scimus Bacchum, eundem in Helena tragoedia transfert in Cererem, ut pro Cerere Bacchum agnoscere nobis videamur. In hac quoque nova deorum descriptione non possumus non fateri, et Bacchum et Cererem visos esse Euripidi idem numen frugiferum sive eandem naturae vim animantibus maxime salutarem. Et quum caloris vim ad fructus procreandos habeat Ceres, hanc eandem esse voluit atque Vestam (v. Müller l. c. p. 39). Jam Dianae, Hecates, Lunae, Proserpinae nomina ejusdem deae habentur, quanquam aliis locis ipse Euripides ea diversis numinibus attribuit. Dianam praeterea confundit cum Ilithyia[39]); Saturni quoque et Croni nomina ad eundem deum pertinent. Et quum Apollinis proprium sit, omnia providere ac praedicere, eundem facit, quem Solem, quippe qui propter lucis radios non minus, quam ille omnia penetret. Lunam autem quum fingit Solis filiam, profecto Anaxagorae doctrinam secutus est, docentis, lunae lucem a sole proficisci[40]). Liberius etiam usus est Euripides voce *ἀλάστορος*[41]). *Ἀλάστορες* Euripidis ea sunt numina, quae non tantum a scelestis hominibus poenas exigunt, sed etiam ad facinora incitant. Sic Furiae, ut apud Sophoclem, *ἀλάστορες* vocantur, quamquam in Medea *ἐρίνυες* et *ἀλάστορες* discernuntur. Modo mali genii (*ἀλάστορες*) vel deus quidam ad flagitia incendunt et calamitates afferunt, modo ipsi depravati malique homines *ἀλάστορες* appellantur, vel a malis geniis orti[42]). Modo prava indoles *ἀλάστωρ* dicitur, modo malum ex prava indole profectum; omnino *ἀλάστορες* magnam in hominum animos vim exercent et auctores vocantur malefactorum[43]). — Non minus in fabula de Parcis ab aequalium opinione recedit, non enim novit *ἐπικλωθούσας Μοίρας*, nedum proferat nominatim unam alteramve illarum dearum. Verbum *ἐπικλώθειν* secundum Homerum (v. Odyss. I, v. 17) Euripides omnino de diis usurpat, qui hominum fatis praesunt. *Μοίρας* vero Jovis solio assidentes fingit hanc vel illam rem explere vel ad finem perducere (*τελεῖν*, *κραίνειν*, *συντείνειν*)[44]). Fabulam, ex qua Vulcanus aperuisse dicitur Jovis caput, unde Minerva in lucem prodiret, in Prometheum transtulit Euripides.

Eidem Euripidis sententiae, deos, qui feruntur, habendos esse vires naturae, non veros deos, documento esse potest ratio, qua deorum alium alio loco tantis laudibus effert, ut summus omnium esse videatur. Reginam deorum nominat Dianam, Bacchum alio loco deorum principem, summum iterum Amorem collaudat; Venerem autem omnium rerum matrem praedicat atque nutricem. Jam Mercurius invocatur, ut qui cum Jove et cum Plutone et apud superos et apud inferos imperium habeat. Mercurius, quum χθόνιος vocatur, idem esse potest, qui Ἅιδης, quanquam illa vox pertinere potest ad munus, ex quo conciliator habetur inferorum et superorum Mercurius. Alio loco Jovem dicit poëta, sive malit Pluto appellari, summum omnium rerum tenere imperium (v. Müller l. l. p. 39).

Nec magis Euripides probat deorum, qui fabulosi sunt, colendorum rationem maximeque invehitur in fatidicorum hariolorumque perversitatem et lucri studium. Homines enim, dum cupiant futura, quae divini numinis sapientia recludi vetuerit, praevidere (Jon. v. 336 sqq.), ad eos se convertere, qui se ex victimarum visceribus vel ex avium volatu vaticinari posse simulant. Sed fraudulentos esse vates et plerumque mendacia proferre. Nihilominus impunitos eos dimitti et dicere, se a diis impeditos esse, ne vera pronuntiarent; sin aliquando, id quod perraro fiat, eveniant, quae vaticinati sint, gloriari eos de arte sua. Omnino nullo modo futura, neque bona neque mala, divinari posse, escam quandam inventam esse artem vaticinandi ad homines decipiendos, neminem unquam ignavum per vates esse promotum atque auctum, omne vatum genus honoris esse avidum, nihil boni, mali plurimum ubique parere[45]). Ergo missam faciendam illam artem, suae quemque fortunae auctorem esse prudentia sua[46]).

Aeque vanam doctrinam, atque fatidicos, saepe mysteriis initiatos jactasse, e Cyclopis loco (v. 619) videmus. Ibi Orphicis mysteriis initiati perstringuntur, qui se tam efficacia carmina scire profiteantur, ut chorus ex Satyris constans, propter ignaviam vitae suae timens, confidat, se tali carmine perfecturum esse, ut titio sua sponte in improbi Cyclopis cerebrum penetret et unoculum perdat[47]).

His explicatis non alienum videbitur commemorare, quale judicium fecerit de Euripidis sententiis ad religiones spectantibus Müllerus in l. s. l. Profert autem fere haec. Dum Sophocles mediam quandam inter nimium et parum viam teneat, dum neque superstitioni neque liberiori de diis sententiae indulgeat et pio castoque animo deos colat, Euripidem, esse deos, quos in tragoediis producat, non credere, ab histrionibus eos non discernere, quos non tantum infelices homines non revereantur, sed etiam, qui rebus adversis careant, incusent. Quin vel ipsum chorum, cujus imprimis sit offensos deos defendere, ad impios sermones conviciaque descendere. Sophoclem contra deorum, si ab hominibus calamitosis contumeliis afficiantur, patrocinium iterum iterumque suscipere. Deos, quos Euripides fingat, impotentes esse et insipientes, eorumque instituta legesque esse vituperandas, ita ut ipse chorus eas perstringat. Imprudentissime Euripidem fabulas, quae de diis ferantur, impugnasse ac fere omnibus sublatis nihil proposuisse, quod hominibus sufficiat, exagitare eum deorum colendorum rationem atque artem vatum lucri studiosorum, quibus facile supersedere eos, qui deos precentur, quique recte agendo deos sibi amicos reddiderint. In his omnibus quum compluribus locis a vulgari opinione recedendum esse neget, sibi ipsum contradicere poëtam, cujus fere omnes tragoedias abhorrere a pietate docenda suadendave, talemque exitum habere, ut appareat, consulto eum diis attribuisse temeritatem et stultitiam. Non minus eum in describendis diis secum pugnare, modo enim dicere, Dianam odio ardere in Venerem et in matrimonia, modo eam parturientes adjuvare, nunc vituperari Venerem, utpote quae in-

concessas incestasque cupiditates suscitet, nunc laudibus efferri, quod sit omnium rerum procreatrix. Naturam autem et consilia numinis divini pervestigari omnino non posse, ut omnia casu fortuito accidere videantur. Jam quod deos una notione comprehendat, et ut cognatos amplectatur, id poëtam probabiliter eo consilio facere, ut unum esse deum popularibus persuadeat eosque ad veram de diis doctrinam perducat. Ceterum primariam impietatis Euripideae caussam esse, quod deos domesticos poëta contemnat, alteram, quod eo praeditus sit ingenio, quod magis in comoediis, quam in tragoediis componendis eluceat. Jam toti de his rebus disputationi Müllerus hunc finem imposuit: „quae omnia si mecum reputaveris, poëtam ineptissima quaeque de diis e sententia vulgi tradere, quas notiones tragoediis suis fundamento esse voluit, passim meliora proponere, quae vero a persuasione popularium essent remotissima, neque, inspersa tantum nonnullis locis, nullo modo cum toto connexa, quidquam valere poterant, mecum contendes, puto, eum inscite de diis tractasse, mores corrupisse, perniciosam vim exhibuisse."

Ante omnia, quo minus offendamus in Euripidis tragoediis, probe sunt distinguendi loci, ubi poëtam se demonstrat, ab iis, ubi philosophus vult videri. Tanquam enim duplex quaedam natura in quolibet poëta, non tantum veterum sed omnium temporum discerni potest. Poëtae enim, quum non solum delectare, sed etiam prodesse velint, in operibus suis et eam animi partem, qua imaginamur, phantasiam, quam dicunt, respiciunt, neque eam negligunt, qua intelligimus perspicimusque. Qua re non prorsus fabulis, quas et ipsi fictas esse sciunt, supersedere possunt; attamen multis locis, ut doceant lectores, suas interponunt sententias. Neque tamen quisquam poëtam a se ipso dissentire affirmaverit. Sic item ne Euripides quidem superstitiosis fabulis carere potuit, siquidem movere vellet animos popularium, qui a pueris illis fabulis assuessent. Ceterum fabulis tragoedias suas tanquam superstruere coactus erat, nisi prorsus explodi vellet[48]). At Euripides, quum suas sententias multis locis immisceret, identidem ab hominum de diis opinionibus recedendum esse negavit, nihil argutando contra deos profici, tanquam in aëre suspensum hominem liberioris in rebus divinis judicii nihil habere, in quo insisteret, semper ea sacra, quae apud simplices et sinceros homines in usu essent, probanda esse et retinenda[49]); quin, etiamsi aliud sentires, tamen quae populares crederent, amplexanda esse et servanda[50]). Id sane ita est. Sed Euripides, quum meliora de diis doceret, caute et considerate agendum esse sibi persuaserat. Quum enim multi ejus aetatis, qui philosophiam jactarent, omnia radicitus evellere studerent et superstitionem quocunque modo oppugnandam esse censerent, his neutiquam assentiri poterat Euripides, utpote qui ista perversa ratione multo plus damni, quam utilitatis effici intelligeret. In eos igitur invehitur, qui tantum abesse ut firmiora aedificent, ut omnia diruendo conturbent et misceant. Summae circumspectionis eum admonuit quum Anaxagorae praeceptoris et Aeschyli poëtae exemplum[51]) tum multo magis ipsius rei gravitas. Praeterea eum Socrates, quo familiariter utebatur, satis modestum ac temperantem reddiderat. Quae vero in doctrina deorum repugnantiae Euripidi objiciuntur, eae partim tolluntur iis, quae supra diximus, partim insident in futilibus Graecorum de diis opinionibus. Cujuslibet enim dei fabulas percense, multa in eis secum ipsa pugnare invenies, ita enim perversa natura fuerunt homines, quibus Christiana religio non erat patefacta, ut, postquam deos sapientissimos, justissimos, castissimos finxerunt, quum in omni re hominibus eos praestare vellent, eadem vitia quibus ipsi laborarent, vel majora in deos transtulerint, ut, qui vindex injuriarum, modestiae castitatisque praeses diceretur, idem maximarum injuriarum auctor, idem intemperantiae deditissimus evaderet. Et quo pejores homines erant, eo pluribus repugnantiis suas de diis opiniones

inquinaverunt[52]). — Euripidem magis comicum fuisse poëtam, quam tragicum, haud concesserim. Quot enim in ejus tragoediis exstant loci, quibus misericordia commovemur, tristitia et moerore afficimur? Herculis insania atque aegritudo, in quam ille velut de gloriae fastigio subito detrusus incidit, ut inimicis irrisionem praebeat acerbissimam, cujus non intimos sensus animumque pertractet? Quid? Hecubae (in Hecuba) miseria, qua nihil potest excogitari miserius, nihil atrocius, quem non percellat? Hecuba ex regno potentissimo, divitiis affluente, ejecta in foedissimam servitutem abigitur. Et conjuge et filiis filiabusque in communi Trojanorum caede orbata posuerat omnem spem in relictis Polydoro et Polyxena. Sed ne hi quidem ex tanta progenie conservantur; miserrima regina dum fortunam suam deplorat, comperit, filium suum ab hospite maxime infido ob avaritiam occisum esse, ad mortem deduci a crudelissimo hoste videt filiam unam ex ipsius complexu ereptam, ut prorsus nihil desit ad miseriae humanae cumulationem. In hac re tragice tractanda nonne magnam artem ostendit Euripides? Nonne ita expinxit omnia, ut sortis humanae debilitatem atque fragilitatem paene oculis nostris videre videamur? Eodem dolore Troad. fabulam legentes afficimur; nam hanc quoque Euripides eo consilio scripsit, ut maximi splendoris et magnitudinis hominum eversionem ostenderet. Ipsi veteres Euripidem, quod facile spectatorum animos permoveret, *τραγικώτατον* appellarunt. Quamquam quid moror eam rem, quae pertinet ad quaestionem de vi et natura artis tragicae? Rectius alii illam artem perspexerint, tractaverint argumenta illa arte digniora, tamen inter magnos tragoediarum auctores numerandum esse Euripidem constat. — Quod autem impium fuisse Euripidem dicit Müllerus, quod deos domesticos contemnat, id ita inverterim: contemnit Euripides deos patrios ob eam rem, quod eorum imbecillitatem vanitatemque cognovit, quippe eorum fragili natura humanae simillima hunc mundum regi neutiquam posse. At corrupit mores hominum. Vel ex eo, quod erat Socratis discipulus, eum civium mores depravasse non est verisimile. Neque illud de Euripide judicium consentire videtur cum oraculo: *σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερος δ' Εὐριπίδης* etc.[53]) Revera eum impias opiniones in vulgus serere noluisse, Valcken. demonstrat (p. 185. l. s. l.). E contrario idem Valcken. (p. 250): „Pro istius, inquit, aevi licentia malos cives nominatim insectatur Aristophanes. Humanitatis amans Euripides sub heroicis personis, antiquis certe, vitia civitatis Atticae plurima modeste notavit; et si praestare non adeo potuit, facere tamen conatus est, quod poëtam decere Agathon in Aristoph. Ran. v. 1041. dicit"[54]). Voluisse autem poëtam popularibus persuadere, unum esse deum, id jure affirmari potest. Jam qualia sint, quae meliora docuit Euripides, deinceps videamus.

§ 2. De deo.

Quae de deo statuit Euripides, haec fere sunt. Est quaedam divina lex, quae omnia regit, animis hominum innata, tenetque jus atque justitiam, quae mala facinora judicat, cujus internam vocem nemo non audit. Illam legem conscientiam vocamus, neque ulla alia inventa est, in qua innisi, quicunque hominum societates conciliaque firmare studuerunt, civitatibus leges dederint. Illa igitur lex fundamentum est et morum et institutorum, quae omnia a deo proficiscuntur[1]). Ex illa lege deum cognoscimus ejusque administrationem rerum humanarum[2]). Verum qui ex illa lege deum cognoscit, eum necesse est intelligere vim divinam ex operibus sive ex tota natura. Legimus apud Valckenarium (p. 28. l. l.) fragmentum Euripidis[3]): Miser ille, qui spectans ista deum animo non cernit: longe projicit tortuosas Physicorum laqueos, quorum lingua noxia sensus omnis vacuas leves periclitatur de rebus tenebricosis conjecturas. In initio hujus

fragmenti cogitare licet de iis, quae Cicero (Tusc. I, 28)[4]) profert, de deo ita disputans: „Quum videmus speciem primum candoremque coeli, dein conversionis tantam celeritatem, quantam cogitare non possumus, tum vicissitudines dierum ac noctium commutationesque temporum quadripartitas ad maturitatem frugum et ad temperationem corporum aptas, eorumque omnium moderatorem et ducem solem, lunamque accretione et deminutione luminis, quasi fastorum, notantem et significantem dies, tum in eodem orbe in duodecim partes distributo quinque stellas ferri eosdem cursus constantissime servantes disparibus inter se motibus, nocturnamque coeli formam undique sideribus ornatam; tum globum terrae eminentem e mari, fixum in medio mundi universi loco, duabus oris distantibus habitabilem et cultum, ceteras partes incultas, tum multitudinem pecudum partim ad vescendum, partim ad cultus agrorum, partim ad vehendum, partim ad corpora vestienda, hominemque ipsum quasi contemplatorem coeli; atque hominis utilitati agros omnes et maria parentia; haec igitur et alia innumerabilia quum cernimus, possumusne dubitare, quin iis praesit aliquis moderator tanti operis et muneris.“ Hunc deum etsi ex ejus operibus cognoscere possimus, tamen saepe negligimus, sed res adversae, in quas idem ille deus nos detrudit, admonent, ut ad sanitatem revertamur et veneremur numen, cui omnia subjecta sunt (v. Hecub. v. 904 sqq.). Summum hoc Euripidis numen est illa mens divina Anaxagorae. Hic enim philosophus primus mentem (*νοῦν, νοῦν βασιλέα*)[5]) sejunctam esse statuit a corporibus, sive ab illa rudi indigestaque mole, ex qua facta sint omnia tum animantia tum inanimata. Accessisse enim ad inordinata confusaque corpora mentem et separando diversa, conjungendo similia, movendo omnia effecisse res adspectabiles. Ita exorta esse aethera, aërem, frigida, calida, humida, sicca, sidera quoque[6]). Anaxagoram secutus Euripides negat, mentem sive deum cadere sub oculos[7]), corpore quodam tanquam praesidio uti, quidquam eum tangere et movere ejusmodi, cujus homines, corporibus praeditos, ut epulari, potare, libidinibus indulgere, vinculis premi. Nam deus sibi ipse sufficit, neque cujusquam, si vere deus est, indiget[8]). Quum corpore careat, nullum spatium implet, neque oculis conspici potest[9]). Multo major est, quam homines atque dii, qui vulgo feruntur, cujus majestas atque sapientia tanta est, ut humana mente investigari et intelligi non possit[10]). Deus non aliunde est ortus, dominus cunctorum, per silentium incedens totam naturam temperat movetque, omnia et in coelo et in terris administrat, ita ut, quibus consiliis utatur, nos fugiat; nam prorsus aliter atque ratio et sapientia hominum exspectaverit, quaecunque sunt, continet, quaecunque fiunt, ad eventum perducit, ut saepe homines, quo sunt ingenio angusto et obtuso, casu fortuito res fieri arbitrentur; praeter exspectationem modo obscura promit, ignobiles ad summum fortunae fastigium evehit[11]), modo, qui insignis fuerat opibus et maxime conspicuus inter homines, in summam miseriam detrudit, neque quaecunque agunt mortales, negligit[12]).

Jam quaeritur, ubi habitantem illum summum deum cogitaverit Euripides. Quod aperte de habitatione dei profert, id sufficere non potest. Nam vel poëtarum morem vel vulgarem hominum rationem secutus modo in terra eum sedem suam constituisse, modo inter sidera, modo in ipso aethere[13]) habitare affirmat. Quod nos Christiani nobis persuasimus, deum nullo non esse loco, id nusquam apud poëtam liquido expressum legimus[14]). Sed quum summum numen lex sit, qua et res tum animantes tum inanimatae continentur, conservantque ordinem suum, et homines, quorum cujusque animo lex illa innata et tanquam insculpta est, non solum ab interitu prohibentur, sed etiam conciliis civitatibusque recte constitutis ad salutem semper perducuntur, necesse est, inquam, deus Euripideus, si non ubique, tamen longe lateque diffusus versetur et imperium teneat.

In nomine autem deo tribuendo, velut si dubitet, num unquam aptum possit reperiri, sibi non

constat poëta. Aliis enim locis illam legem ita praedicat et describit, ut pro ipso deo haberi possit, aliis locis Jovis vel Ditis nomine utitur, non nunquam aethera deum compellat, popularium dicendi rationem secutus. Saepe etiam *Ἀνάγκη* vel *Χρεών* vocatur numen, cui omnia pareant[15]). Locus praestantissimus ad hanc rem spectans legitur Troad. v. 846 sqq.

Ὦ γῆς ὄχημα, κἀπὶ γῆς ἔχων ἕδραν,
Ὅστις ποτ' εἶ σὺ, δυστόπαστος εἰδέναι,
Ζεὺς, εἴτ' ἀνάγκη φύσεος, εἴτε νοῦς βροτῶν,
Προσευξάμην σε· πάντα γὰρ δι' ἀψόφου
Βαίνων κελεύθου, κατὰ δίκην τὰ θνητ' ἄγεις.

Hoc loco dubitatio non tantum pertinet ad nomina deo tribuenda, sed multo magis ad ejus vim et naturam[16]). Integram enim relinquit poëta quaestionem, utrum deus sit perfecta quaedam ratio, hominum rationi simillima (*ἀνθρωπόμορφος*, ut scholiastes ad h. l. dicit), an sit ea vis naturae, quae, quin unquam decipiatur, certis quibusdam legibus, quaecunque videmus, temperet regatque. Summa horum verborum vertitur in majestate et excellentia numinis divini, qua nihil possit inveniri praestantius.

Ex iis, quae supra explicavimus, facile est intellectu, quibus virtutibus praeditum Euripides deum cogitaverit. Deus est potentissimus[17]). Si omnia omnium philosophorum scripta pervolveris, totam mentem cogitationemque in rebus difficilibus subtilibusque defixeris, non tamen invenies quidquam deo majus atque potentius[18]). Nihil majus graviusve fit nisi sciente deo. Quaecunque hominibus fortunae vicissitudines accidunt, earum multas stultus opinatur casu fortuito accidere, revera dei voluntate eveniunt. Saepe homines, qui summum honorum divitiarumque gradum ascenderunt, nimia elati superbia omnibus vel ipso deo superiores sibi videntur atque eo progrediuntur temeritatis et arrogantiae, ut suis se ipsorum viribus sperent confirmare posse vanas illas opes et defendere contra omnes impetus. Sed derepente deus efficit, ut omni gloria et magnificentia exuti in maximam egestatem et miseriam dejiciantur[19]) et documentum exhibeant aliis, quam imbecilli sint homines, quam nihili aestimandae vires humanae, cum divinis comparatae[20]). Contra alios, quantumvis antea fuerint infirmi et despecti, unus deus adeo promovet, ut cunctos honoribus et facultatibus antecedant. Cuicunque deus opem fert, is ab omnibus sociis terrestribus desertus solus vel saevissimos hostes in fugam conversos dissipat contusosque suo imperio subjicit[21]). Quod autem luce clarius praepotentem dei naturam ostendit, illud est, quod lege in aeternitatem definita res, quascunque videmus, non tantum procreat sed etiam conservat neque unquam ab ordine diligentissime constituto recedit. Quid? quod talem effinxit hominem, ut quid honestum vel turpe sit, per se ipse sentiat, ut conscientia vel scelerum excrucietur, vel bene factorum illa animi tranquillitate perfundatur, unde efficitur vita beata. Quem quidem recti et pravi sensum tam firmiter hominibus ingenuit, ut concilia, quas civitates appellant, constituerent, constituta comprimendis scelestis, bonis remunerandis tuerentur. Quae quidem omnia tanta sunt, tamque mira, ut non pluris aestimandum sit prodigium, si deus hominem atque adeo totum populum praeter legem naturalem semper servatam subito ex uno loco sublatum in alterum transferret vel remotissimum[22]). Nihilo tamen minus sunt quaedam, quae casu eveniant. Sunt illa minuta et leviora, quae casu accidere deus, qui tantum graviora curat et majora, patitur[23]). Quoniam lex illa per omnes res pari modo diffusa ex summo numine emanat, facile probari potest, praeditum esse deum virtute, ex qua omnia animadvertat atque provideat. Neque omnino summa potestas cogitatur, nisi addita summa providentia. Utque non manuum indiget deus ad procreanda

et efficienda, quaecunque vult, ita ei non opus est neque auribus neque oculis ad animadvertenda, quae homines moliantur. Deus, quanquam in longinquis regionibus aetheriis habitat neque adest iis, quae ab hominibus geruntur, tamen omnes res plane cognovit atque perspectas habet[24]). Neque tantum non ignorat, quae faciunt homines, sed etiam explorata habet, quae secum animo volvunt. Non enim deo satis fit, quum quis puris quidem manibus, sed animo libidinibus inquinato ad sacrum faciendum accedit[25]); non magis, quam si quis jurejurando aliud promittit, aliud animo sentit[26]). Externa decori et honesti specie homines decipi possunt, non potest deus, quia omnino intimos animi velut recessus cernit atque novit. Jam quum deus hominum causis dijudicatis justissime vel ex improbis poenas exigat vel bonos praemiis afficiat, fieri non potest, quin longissimam rerum gestarum seriem mente comprehendat, h. e. tempora et praeterita et praesentia et futura perlustrata et intellecta habeat. Clarissima cognitionis scientiaeque deus ornatus est luce[27]), cujus si aliquot duntaxat radii hominis animum illustrant, et ipse perspicit „quo sata sit mens ortu, quae causa mali, cui coelicolarum rite litando requiem sit habere laborum". — Idem deus est sapientissimus[28]). Ejus sapientia immane quantum hominum sapientiam superat[29]); neque, quibus consiliis administret deus mundum, quisquam mortalis homo detexit, neque unquam deteget[30]), quin quo quis est sapientior, ut captus est hominum, quo magis in rebus obscuris et difficilibus versatus, eo magis sentiet, quanto inferior sit deo mens humana[31]). — Quae quum ita sint, stultissimum est, res futuras, quas occultas hominibus ignotasque esse dei sapientia jussit, cognoscere velle[32]). Namque illa futura explorandi arte, quamtumvis jactetur ad homines alliciendos et ad lucrum faciendum, si non malignius, certe fallacius non potest inveniri quidquam, neque omnino vere bonum est, quod homines invitis diis sive mactata hostia sive augurio petunt[33]). Quid igitur restat? nihil aliud, nisi ut, omissis negotiis supervacaneis, omnem spem in deo ponas[34]), idque unum perfugium habeas in miseriis humanis[35]), quae quo majores sunt, eo propius est dei auxilium[36]). Itaque noli quaerere sublimiora neve te elatius gerere, immo docilem te praebe sapientioribus, qui meliora possint docere. Tum eo magis animo tranquillo et pacato vives, quum probe scias, eundem deum esse justissimum[37]). Nam quo modo fieri possit, ut, qui deus legem juris et justitiae hominum animis ingeneraverit, injuriarum culpam sustineat[38]). Ubique illam legem, quae si deleretur, omnia dilaberentur, diligentissime servat[39]). Exaudit justorum hominum preces, adjuvat eos non tantum contra singulos adversarios[40]), sed contra totas gentes, quae injusti amore ductae nefaria bella suscipiunt[41]); remuneratur eos, qui dei colentes fuerunt[42]), qui pietatem fidemque erga amicos servarunt, in omni re modestiam exercuerunt, abstinuerunt ab injusto lucro, neque majores opes quaesiverunt, qui denique repudiatis litteris interioribus et reconditis, quae carerent justitia, non recusaverunt pro patria ipsam mortem subire, compensat, inquam, virtutes, idque non sola recti conscientia, quae et ipsa beatam vitam efficere potest, sed etiam honoribus, opibus, amicis, omni rerum secundarum genere. Rursus, qui superbia elati leges et divinas et humanas violant[43]), infrenata lingua omnibus contumeliis deum vexant[44]), perjurio mortem vitare student, aut carcerem, aut tristia belli mala[45]), qui cupiditatibus ducti, neglectis et amicitiis et hospitiis omne fas nefasque permiscent et abrepti injusti lucri studio pessima quaeque facinora perpetrant[46]), hiscine tu censes lenem fore ac mitem judicem deum[47])? immo maximis eos suppliciis afficiet[48]); nam profecto minus sapiens esset deus quam mortales, si aequitati et justitiae nimiam lenitatem anteponeret. Et ut omnia ex illorum voluntate eveniant, suapte natura felices esse non possunt[49]). Ea enim est vis malorum hominum conscientiae, ut quantumvis glorientur opibus, honoribus, quibuslibet bonis fragilibus, in summa omnium rerum abundantia saevissimis animi morsibus excrucientur et, dum

speciem beatae vitae prae se ferunt, revera vivant miserrimi[50]). Verumenimvero quoties accidit, ut homines omnibus virtutibus exornati infelices sint, felices sceleribus et libidinibus obruti[51]), ut prorsus res humanas deus negligere videatur[52])! Res ita se habet. Sed primum illud considerandum. Si homines totam rerum gestarum seriem aeque ac deus comprehendere et animorum tamquam intimos recessus pervestigare possent, rectius bonos a malis internoscerent; nam non semper, qui videntur, boni aut mali sunt; deinde qui hodie felices praedicantur, non item cras erunt[53]); est enim divinae justitiae, tacito lentoque gressu sceleratos sequi[54]), poenae gravitate tarditatem suam compensare[55]). Nullum omnino scelus in aeternum deus impunitum feret[56]) et aliquando tandem non de iis solis, qui peccarunt, supplicia sumet[57]), sed de iis quoque, qui se malis hominibus adjunxerint vel sub eodem tecto degerint; eo enim ipso, quod malorum consuetudine utuntur, demonstrant se ad vitium inclinare atque adeo jam infectos amare peccata[58]). Quo diutius autem ira dei cessaverat, quoque minus homo sceleratus poenam justam ac debitam speraverat, eo gravius acerbiusque affligitur calamitate divinitus immissa[59]). Tum multa et acerba, quae in hominum vita reperiuntur, ex prioribus peccatis nata sunt et effecta[60]), quae ad expiationem quandam patienter ferenda sunt[61]). Denique qui magnis animi facultatibus praediti sunt, eos multo magis cum rebus adversis luctari voluit deus sapientissimus, quam homines plebejos[62]). Ut in universum vires viribus excitantur, ita illis, qui virtutibus praestant, multi ex invidia exsistunt adversarii, quibus feliciter superatis clarior virtus eluceat et majoribus praemiis digna videatur[63]). Postremo finge, hominibus, dum vivant, non referri gratiam, certe post mortem deus justissimus tum bonos remunerabitur praemiis tum malos poenis afficiet[64]). Nonnunquam ne spatium quidem datur vel praemiorum vel poenarum, quia homines ipsa morte vel magnopere peccant vel immortaliter de aliis merentur, ut si quis amore patriae ductus fortissime pugnans in proelio cadit. Illi quidem, quum in aethera redierint post mortem, factorum suorum mercedem ferent[65]).

Eundem deum statuat Euripides oportet integerrimum et sanctissimum[66]). Nullae unquam in deum cupiditates cadunt. Quomodo ira incitatus deus abripi possit ad temeritatem, quum justissimus sit atque sapientissimus? Justitia eum prohibet, quominus malitiae vel crudelitati cedens quemquam pessumdet hominum. Ebriositati autem turpi deditum esse deum, qui affirmet, dicat necesse est, eum adhaerere corpori et indigere omnium rerum, quae hominibus ad vitam sustentandam necessariae videantur. Neque magis naturae divinae conveniunt avaritia, ambitio, imperii cupiditas, similia[67]). Jam qui deum amoribus implicari vult, libidinibus indulgere[68]), ut quemlibet mollissimum, adeo ut in certamina cum hominibus descendat et ad injurias iis inferendas impellatur, idem facile ab se impetrabit, ut dicat, mentem divinam omnino nihil differre ab imbecillitate et vitiositate humana[69]). Deus ab omni concretione mortali segregatus obscoenas incestasque cogitationes, non dico facta, detestatur maxime[70]) et tantum abest, ut unquam malorum hominum consuetudine inquinetur, ut eadem immutabili luce in aeternum splendeat. Quum deus eos, qui ministeriis ejus operam dant et sacris faciundis adsunt, purget sanctosque reddat, sanctissimum et ipsum esse liquet[71]).

His virtutibus convenit, deum esse in homines benignissimum et benevolentissimum[72]). Quot et quanta bona nobis impertivit! deus effecit, ut agri omnis generis fructus gignerent et aquis coelo demissis segetes laetius crescerent[73]) et homines calore solis laboribusque defatigati reficerentur[74]) largitus nobis est corporum tuendorum causa vestitus, perfugia fecit ad defendendas calorum frigorumque molestias, navigandi artem docuit[75]), ut commerciis conjungeremur atque, quo nihil est praestabilius, animo nos instruxit[76]), ut quam maxime differremus a feris bestiis, ornavit vocibus

atque oratione[77]), ut communicaremus vel tristes vel laetos animi sensus, talesque nos finxit, ut non tantum praesentia cagnosceremus, sed etiam praeteritorum meminissemus et futura provideremus[78]). Idem deus in causa fuit, ut in rebus adversis amicos inveniremus, qui nos consolarentur et malam fortunam suum dolorem de dolore nostro testantes tolerabilem redderent[79]); denique quibuscunque fruimur bonis, ea omnia a deo optimo nos accepisse fatendum est[80]). Nihilo tamen minus reperiuntur, qui, spreta hac tanta omnium rerum, sine quibus vita omnino nulla esset, abundantia, ipso deo sapientiores potentioresque sibi videantur. Non audiendi sunt ii, qui superbia commoti dicant, plus malorum esse in terra quam bonorum[81]). Ita enim deus mundum temperavit, ut etiamsi interdum homines in miserias incidunt, quas vulgo a diis iratis vel a malis geniis proficisci dicunt[82]), tamen adversae res multo compensentur secundis[83]).

Jam quae ratio dei colendi probetur Euripidi, facile dictu erit[84]). Primum quilibet homo ex ipsa natura intelligit, esse deum, a quo totus mundus administretur; quod quum intellexit, admonetur, ut inquirat, quae sit natura dei, unde ortus sit et qualis animus hominum, quid bonum, quid malum, unde quave re vita beata comparetur[85]); difficiles autem res et obscuras easque ad animi tranquillitatem nihil pertinentes, quales physici tractant, inquirere supervacaneum habebit, vel dicam periculosum[86]). Nam qui multa didicit et subtili multarum rerum doctrina excellit, is invidiam aliorum excitat, temere ad insolentiam et superbiam abducitur, neutiquam sociabilem virtuti justitiae[87]). Quae quum sit reliquarum virtutum tanquam fundamentum, a vita beata intercluditur, quippe quae nisi virtutibus non comparetur. Itaque animum attendat ad res illas divinas[88]), ne repudiet admonitores consiliariosque benevolos[89]), neve se pertinacem in melioribus spernendis ostendat[90]). Quodsi praeclaras dei virtutes cognoverit, facile sibi persuadebit, se summo numine multo esse inferiorem[91]), neque unquam a se impetrabit, ut aut in homines aut in ipsum deum immodestus inverecundusve sit[92]); semper memor erit quam incertae sint ac dubiae res secundae[93]), adversas autem res aequo animo feret[94]), neque lamentando neque cessando tempus consumet[95]), sed solius dei auxilium implorabit[96]) confidetque fore aliquando ut discriminibus liberetur[97]). Nihil non a deo incipiet[98]), persuasit enim sibi, nunquam eum, quocum deus pugnet, periturum[99]), nunquam calamitates artificiis et astutia effugere conabitur[100]), neque ad desperationem perducetur[101]) neque morte voluntaria vitam finiet[102]). Hoc enim angusti est et ignavi animi[103]). Multi virtutem simulantes, ut decipiunt homines, ita decipere se posse putant deos, aliud jurejurando confirmant, aliud animo sentiunt agitantque[104]), dum videntur in alios justi esse et benevoli, revera summam injuriam inferunt[105]), deum autem se placatum habituros opinantur, si aris splendide exstructis ad sacra facienda accesserint, quae si lautis manibus abstersisque vestibus nihil non servando de caerimoniis peregerint, satis fecisse se deo existimant[106]). Ab hac ille perversitate longissime remotus omnium maxime referre putabit, quali animo res divinas peragat[107]). Non minus liber ab illa opinione, quae vel ipsum deum tollit, ex qua eo stultitiae provehuntur homines, ut fana ac templa deorum diruant, ne sepulcris quidem mortuorum parcant, denique sacrorum ruinis obruti ipsi occidant[108]), quam a superstitione, ex qua rebus levissimis terreatur, mores religionesque popularium verebitur, ita tamen ut probe sciat, suas vel tacitas, si justae sint, preces a deo maximo exaudiri[109]). Ejus leges ita servabit, ut ne tyranno quidem, si hujus voluntas dei justitiae adversetur, obsecuturus sit[110]). Nihil nisi quod sibi conducat, quodque fas sit petere, a deo sapientissimo petet. Quodcunque ex votis effecerit, id se dei auxilio effecisse putabit, ad deum omnia referet, deo summam gratiam habebit[111]). In futuris autem explorandis non importunus erit, quoniam fallacem esse et inanem omnem divinandi artem persuasum habet[112]) optimamque esse

divinationem illam sapientiam, qua quis deum imitatus excellat, qua praeter ceteros insignis fuit Theonoe [113]). —

Digressio I. De animo demisso (Demuth).

Quanquam Euripides docet, hominem, si dei excellentiam intellexerit, demisso animo esse; summo numini repugnare elatiusque se gerere, stultissimum esse, tamen illa animi demissio Euripidea non confundenda est cum Christianorum. Horum enim virtus, quae in animo demisso consistit, multo excelsior est et magnificentior, quae nisi plane cognita dei maiestate exoriri non potuit. Euripides, sicut reliqui omnes philosophi antiqui, qui ante Christum natum fuerunt, quantumvis laudibus efferat magnam dei potentiam, tamen praeter deum statuit corpora, quae aeque atque ipse deus a principio fuerint, non a deo facta vel procreata. Deus, quem putat Euripides, non est auctor et procreator rerum, sed tanquam dispositor et formator, cujus omnis potestas in regenda et conservanda rerum multitudine versetur. Christianorum deus de nihilo omnia creavit, ita ut nulla res sit, quin vitam debeat illi deo praepotenti. Quidquid de imbecillitate et infirmitate hominum ab Euripide disputatur, tamen longe differt ab iis, quae Christianorum doctrina continentur. Nos demum, qui verum deum cognovimus, penitus perspeximus, quam caducae sint et fragiles res humanae. Quare psalmista (38, 6) exclamat: Ego admodum nihil sum tecum comparatus, et apostolus (1 epist, Corinth. 4, 7): *τί δὲ ἔχεις, ὃ οὐκ ἔλαβες; εἰ δὲ καὶ ἔλαβες, τί καυχᾶσαι ὡς μὴ λαβών;* Quid? quod plus etiam nobis ille deus dedit quam vitam corporis. Eo enim amoris erga homines processit, ut, quum peccatis demersi essemus, de coelo descenderet, exutus majestate divina humanam induerit formam, nostri similis factus denique in servilem modum cruci se affigi passus sit et in omnem aeternitatem veluti fontem immortalitatis nobis aperuerit. Praeceptum erat veterum philosophorum: *γνῶθι σεαυτόν.* Tandem Christianorum deus postquam, quantum intersit inter ipsius praestantiam et fragilitatem humanam, docuit, effecit ut plane nos cognosceremus, et ostendit, quae sit nostra origo, quae conditio. Ex qua quidem cognitione virtus illa nascitur praeclara atque splendida demissi animi. Quae quum ita sint, et de virtute, quam Euripides vult demissi animi, multum detrahendum erit neque reliquae virtutes, quae ab Euripide laudantur, tanti erunt aestimandae, quanti quas Christiani illi fundamento superstruxerunt. Exempli causa afferri potest amor inimicorum, qui nisi remota omni privatae utilitatis cupiditate non tantus esset. Magno autem et excelso animo qui fieri poteris, nisi omnem spem in deo, qui nihil non valet, reposueris, summae imbecillitatis tuae conscius. Quot quantaque magnitudinis animi exempla dederint Christiani, historia sacra docet. Christianus, quo est animo demisso, solus dignus habetur laudibus, quas Stoico philosopho tribuit Seneca: „Stat rectus sub quolibet pondere, nulla illum res minorem facit, majorem nulla, nihil illi eorum, quae sunt ferenda, displicet; quidquid cadere in hominem potest, in se cecidisse non queritur, vires suas novit, vincit virtute fortunam“. Summo jure ipse Schillerus Christianorum doctrinam laudans ita dicit (die Johanniter):

Religion des Kreuzes! nur du verknüpfest in Einem Kranze der Demuth und Kraft doppelte Palme zugleich! [1]) —

Neque tamen ob eam rem, id quod alii de veterum virtutibus in universum affirmarunt, dixerim, virtutes, quas Euripides praedicat, esse splendida vitia. Quales sint, infra videbimus.

Digressio II. De Aethere, quem Deum Euripideum esse vult Hassius.

Hassius (l. c. p. 8 sqq.) quanquam Euripidem philosophum in universum in Anaxagorae doctrina niti concedit, tamen negat discipulum ita pendere a magistro, ut praecepta ejus ad unum omnia tanquam praescripta et decreta acceperit, accepta reddiderit; immo vero in re primaria tantam esse eorum discrepantiam, ut Euripidis philosophia jure quodam paene alia queat nominari. Anaxagoras ab initio rerum statuerat fuisse mentem (*νοῦν*)[1]), praeterque mentem materiam atque hanc, quoniam ex nihilo nihil fieri posse sicut reliquis antiquitatis philosophis, sic item Anaxagorae, placebat, esse aeternam, ut deum ipsum, et continere omnium rerum elementa. Neque magis naturam rerum et proprietatem a mente esse effectam et conformatam, sed ab omni aeternitate cum ipsis rebus fuisse conjunctam; mentis efficaciam consistere in rebus movendis, secernendis, ordinandis[2]), in qua quidem re eam circumscribi materiae necessitate (*ἀνάγκῃ*). Ita quasi duplicem causam rerum conformationis, *ἀνάγκην* et *νοῦν*, statuerat Anaxagoras, ut Aristoteles et Plato ejus doctrinae vitiositate, qua dei tanquam machinae auctoritas vehementer elevaretur, offensi sint[3]). Eandem disciplinae Anaxagoreae vitiositatem censet Hassius fortasse Euripidi quoque displicuisse, ita ut praeter aethera ullam aliam vim esse ad describendas, ordinandasque res negaret, unum Aethera animantem affirmaret mentem esse divinam et numen divinum et vim moventem[4]). Ad hanc suam sententiam confirmandam magnam locorum multitudinem Hassius congessit: Chrysip. frg. VI. Incert. trag. frg. III. b. Alex. frg. XVI., ubi illa aetheris cum terra conjunctio significatur, sicut in Melanip. frg. VI. Incert. trag. frg. CLXXVIII (aether et terra nominantur). Iphig. Aul. v. 317 (solus aether invocatur), ut Iphig. Taur. 42 sq. Incert. trag. frg. I (terra et aether). Incert. trag. frg. CLIV (aether). Hippol. v. 636 (*ἰὼ γᾶ καὶ φῶς*). Ibid. v. 979 (*Ζῆνα καὶ πέδον χθονός*). Orest. v. 1451 (*ὦ Ζεῦ καὶ γᾶ καὶ φῶς καὶ νύξ*). Medea v. 146 (*ὦ Ζεῦ καὶ γᾶ καὶ φῶς*). Electr. v. 1109 (*ἰὼ γᾶ καὶ Ζεῦ, πανδερκέτα βροτῶν*). Med. v. 56 (*γῇ τε κἀουρανῷ*). v. 1193. (*ἰὼ γᾶ τε καὶ παμφαὴς ἀκτὶς Ἀελίου*). Phoeniss. v. 1217 (*ἰὼ Ζεῦ, ἰὼ γᾶ*). v. 1221 (*φεῦ δᾶ, φεῦ δᾶ*). Jon. v. 1339 (*λαμπρᾶς αἰθέρος ἀναπτυχαὶ*). Alcest. v. 236 (*ἅλιε καὶ φάος ἁμέρας*)[5]). Quos praeterea commemoravit locos scriptorum posteriorum temporum, ii non possunt in hanc rem quidquam valere. Locorum autem, quos citavit ex Euripide, duplex est ratio; aut enim invocatur Aether connubio conjunctus cum Terra, aut omissa illa matrimonii imagine Aether cum Terra invocatur, vel Aether cum Sole, vel Aether cum Terra, cum Luce, cum Nocte, vel Sol solus, vel Terra sola, vel Terra cum Sole. Priores illi loci per imaginem poëtis sexcenties usurpatam sunt intelligendi. Quod enim ad res procreandas duo principia necessaria sunt, terra et aether vel coelum, quorum alterius luce et imbribus demissis fecunda redditur altera[6]), poëtae illud animalium connubium ad coelum et terram transtulerunt, non quo illos deos esse crederent, sed ut siccitate verborum evitata ornatum quendam orationi afferrent atque splendorem. Quod si nihilominus Hassius aethera pro deo habet, cur omnino negligit terram? an quod apud veteres minoris aestimatae sint feminae quam mares? Fuerunt sane inferiore loco feminae[7]); est vilior, idque ex Euripidis doctrina, terra quam aether, quippe quae ad homines procreandos partes praebeat et terrenas et fragiles et virtutis expertes; attamen sine matre nasci posse neminem, aeque ac nos perspexerant veteres[8]), neque quidquam ex sola aetheris potestate proferri videbant ipsi veteres. Scilicet amoveri vult Hassius duo Anaxagorae numina, vel unius dei, quem statuat Euripides, dignitatem augeri, quanquam ipse (p. 11. l. c.): „Verissime, inquit, duo, Aethera et Terram, invocat tanquam numina, Atherem

(ο Αἰθήρ, ὁ οὐρανός), ut originis auctorem, maritum perhibens patremque omnium rerum, Terram (ἡ γῆ, ἡ γαῖα, ἡ Δημήτηρ) nutrimenta suppeditantem significans matrem atque nutricem". Verum, si aether deus est, dubitandum non est, quin item terra dea sit, si non bona, at mala, si non aeque potens atque aether, at proxime accedens auctoritate. At enim non sunt dii neque aether neque terra. Sunt elementa naturae et vires praecipuae, quibus sublatis neque nasci neque crescere neque decrescere potest quidquam. Hac ratione αἰθήρ et οὐρανός et φῶς et ἥλιος et Ζεὺς similia sunt; eodemque jure νὺξ invocatur, quoniam, quaecumque videmus, vicissitudini dierum et noctium sunt subjecta[9]). Neque ideo αἰθήρ pro deo habendus est, quod legitur: αἰθήρ, ὃς τάδ' ἤκουσεν σέθεν vel: λέξω πρὸς αἰθέρ; similiter nos quoque: Eine Sache der Nacht sagen, sie dem Himmel erzählen. Ceterum iisdem locis, quos citat Hassius, αἰθήρ regio est, ubi Jupiter versatur (Incert. trg. frg. CLIV) et Venus, sicut in mari et in terra omnia domita habet permulcetque (Hippol. v. 425) et quo efflatis animis se recipiunt homines (Incert. trag. frg. CLIV), ubi terra mater sedet (Incert. trag. frg. CLXXVIII). At pro Hassio locus gravissimus facit, quem omnium primum posuit, Incert. trag. frg. I: ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις[10]); τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ θεόν. Verum enimvero primo adspectu in verbis ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις agnoscimus imaginem, qua poëta usus est. Deinde nescimus, ex qua sententiarum serie illa verba desumpta sint. Quid? si verborum contextus hic sit, ut cuipiam alios deos praedicanti occurratur: „Aether est Jupiter, aether deus, qui luce sua et imbribus alimenta praebet hominibus", simili modo, quo Cyclops Ulixi, pietatis eum admonenti, dicit (in Cycl. v. 322): ὡς τοὐμπιεῖν γε, καὶ φαγεῖν τοὐφ' ἡμέραν, Ζεὺς οὗτος ἀνθρώποισι τοῖσι σώφροσιν, Λυπεῖν δὲ μηδὲν αὐτόν. Si revera summum deum esse aethera credidisset Euripides, profecto non ita scripsisset (Melanipp. frg. VI): ὡς οὐρανός τε γαῖά τ' ἦν μορφὴ μία· Ἐπεὶ δ' ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα, Τίκτουσι πάντα κἀνέδωκαν εἰς φάος, Δένδρη, πετεινά, θῆρας, οὓς θ' ἅλμη τρέφει, κ. τ. λ. Nonne passiva forma ἐχωρίσθησαν demonstrat, non esse summum deum vel solum moventem aethera, nam non ipse illam separationem effecit, sed accessisse aliam vim praeter οὐρανόν et γαῖαν, fortasse νοῦν Anaxagoreum, qui coelum et terram sejunxerit[11]). Non videtur satis respexisse Hassius locum ex Pirithoo fabula sumptum (frg. II): σὲ τὸν αὐτοφυῆ, τὸν ἐν αἰθερίῳ Ῥύμβῳ πάντων φύσιν ἐμπλέξανθ', ὃν περὶ μὲν φῶς, περὶ δ' ὀρφναία Νὺξ αἰολόχρως, ἄκριτός τ' ἄστρων ὄχλος ἐνδελεχῶς ἀμφιχορεύει. Quo jure aether, si intelligendus esset, dici possit αὐτοφυής, qui nisi connubio junctus cum terra procreat nihil? nonne pronomini σέ opponuntur πάντων φύσις, vel πάντα et φῶς et νύξ? φῶς autem est αἰθήρ, ut in locis, quos Hassius commemoravit. Jam quilibet, credo, in allocutione σὲ τὸν κ. τ. λ. perspiciet νοῦν Anaxagoreum[12]) et recte Clemens Alex.: „ἐνταῦθα, inquit, αὐτοφυῆ, τὸν δημιουργὸν νοῦν εἴρηκεν," mentem divinam sive opificem universi. Si aether deus esset, cum materia conjunctus esset[13]), sed δεῖται ὁ θεός, εἴπερ ἐστ' ὄντως θεός, οὐδενός[14]). (Hercul. fur. 1236). Non esse corporeum deum, demonstrant illa verba (Incert. frg. XXIII.): α. θεὸν δὲ ποῖον εἰπέ μοι νοητέον; β. τὸν πάνθ' ὁρῶντα κ' αὐτὸν οὐχ ὁρώμενον[15]).

Jam respicienda sunt, quae leguntur (Incert. trag. frg. CLV.):

σοὶ τῷ πάντων μεδέοντι, χοὴν,
πέλανόν τε φέρω, Ζεὺς εἴτ' Ἀΐδης
ὀνομαζόμενος στέργεις· σὺ δέ μοι
θυσίαν ἄπυρον παγκαρπείας

δέξαι πλήρη προχυθεῖσαν.
σὺ γὰρ ἔν τε θεοῖς τοῖς οὐρανίδαις
σκῆπτρον τὸ Διὸς μεταχειρίζων,
χθονίωνθ' Ἅιδη μετέχεις ἀρχῆς·
πέμψον μὲν φῶς ψυχᾶς ἀνέρων
τοῖς βουλομένοις ἄθλους προμαθεῖν,
πόθεν ἔβλαστον, τίς ῥίζα κακῶν,
τίνα δεῖ μακάρων ἐκθυσαμένοις
εὑρεῖν μόχθων ἀνάπαυλαν.

De his satis habeo adnotasse, quae Valcken. ad hunc locum scripsit (p. 44. b.): „Non miror ista Clementis Alex. de Euripide, ὅτι τὸν σωτῆρα αὐτὸν οὐκ εἰδὼς λέγει. Sic enim ultima scripta sunt poëtae philosopho, ut videri quodammodo queat deum quendam desiderasse salutiferum, qui malis, quibus homines insanabilibus premebantur, aliunde non exspectandum praesentissimum afferret remedium. Invocat deum gubernatorem universi, cujus nomen sibi fatetur incognitum; quemque ἀγνοῶν ηὐσέβησε· huic offert frugum suarum primitias in animi grati testificationem ob benefacta: hujus in superis inferisque agnita potentia, petit ab illo supplex, ut mentes illuminare dignetur veritatis amatorum, atque hos edocere, praeter cetera, τίνα δεῖ μακάρων κ. τ. λ.“ Denique quae verba Euripidis suam sententiam defendere putat Hassius, ea diversa esse equidem arbitror vel maxime (Troad. v. 846 sqq.). Quorum quanquam priora ad aethera pertinere possunt, tamen reliqua quomodo ad corpus aliquod lucidum, splendidum, calidum, quantumvis sit leve ac tenue, referantur, prorsus non perspicio. Immo his verbis describitur aliquid, quod corpore caret, sub oculorum sensum minime cadens [16]). Qui omnibus et animantibus et inanimatis praeest, non tantum propter miram efficaciam nullam rem non amplectentem, sed etiam eo, quod corpore destitutus est, neque ullo loco conspicitur, vocatur δυστόπαστος. Ceterum νοῦν Anaxagoreum vocibus νοῦς βροτῶν significare videtur Euripides. Quoniam autem de summo deo quaestio perdifficilis est, dubitatio moveri potest, sitne deus lex illa, qua omnia fiunt, in aeternitatem constituta (ἀνάγκη), an mens quaedam humanae menti similis (νοῦς). Quae scholiastes ad verss. Euripidis adnotavit, Hartungus in hunc modum vertit: „Der in der Menschenvernunft sich offenbarende oder die allgegenwärtig waltende Vernunft (welches letztere besser ist), sei nun Zeus menschenartig (ἀνθρωπόμορφος), sei er Organismus (ἀνάγκη) der Natur, d. h. sei er eine derartige Vernunft, wie die Menschen sie besitzen oder Nichts dergleichen, sondern nur eine Analogie von unserer Vernunft.“ Jam illis versibus numen divinum designari plane diversum ab aethere, versus docet, quem illico loquentem facit poëta Menelaum: τί δ' ἔστιν, εὐχὰς ὡς ἐκαίνισας θεῶν; „quid est, cur novos deos preceris [17])?“ Si in verbis Hecubae de aethere cogitandum esset, inepta esset Menelai interrogatio. Ceterum hac interrogatione auditorum animos ad suam de summo deo sententiam, a vulgi opinionibus prorsus recedentem, convertere vult Euripides.

Quae quum ita sint, ne paulisper quidem dubitaverim assentiri Valckenario, qui l. c. p. 36. 37: „Deorum, inquit, quales a Graecis vulgo colerentur, contemptor, Euripides unicum agnovisse deum videtur αὐτοφυῆ, mentem puram, aeternam atque adeo infinitam, nulliusque rei indigam: non ille, quae aliorum fuit opinio, deum mentem esse censuit, quae, materiae velut infusa, ac cum illa arcte conjuncta, hanc molem instar spiritus agitaret; sed puram et a materia longe semotam, cui materiae natura sua quiescenti et confusae mens ista divina motum indiderit atque ornatum, creatrix

coeli et terrae. Coelum autem, sive Aethera, et Terram velut duo elementa consideravit, ex quibus omnia in hoc universo nascerentur et in quae omnia, quum viderentur mori, in suum quodque, resolverentur. Sed ut carminum poëta consuleret suavitati atque ingenio elegantissimo morem gereret, veluti quodammodo *συνάρχοντας τῷ μεγίστῳ δαίμονι* omniparentes Aethera et Terram *εἰδοποιήσας* connubio junxit; suasque hic poëta *ἐρωτικός* Amori qui dicebatur partes elegantissimas adsignavit: ex hoc conjugio omnia primum enata cecinit, atque etiam nunc per hos conjuges, vernis praesertim temporibus in mutuos ruentes amplexus, in ordine quidque suo vegetatum custodiri conservarique."